

(2) mit b. Heel.

94/58 R

6

Bint 389

Buchungsw.

4037 706 07

DOGmaticae et polemicae  
P A R S V N A  
**THEOLOGIA**  
**REVELATA.**

---

QVAM  
IN ALMA WIRCEBURGENSIVM VNIVERSITATE  
P R A E S I D E  
**FRANCISCO OBERTHÜR**  
SS. THEOL. DOCTORE, V.I. LICENT. REVERENDISSIMI AC  
CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS EPISCOPI BAMBERGENSIS ET  
WIRCEBURGENSIS, FRANCIAE ORIENT DVCIS ETC. ETC. IN  
VICARIATV ET CONSISTORIO CONSILIARIO, THEOLOGIAE  
DOGmaticae et polemicae PROFESSORE P. O. INSIGNIS  
ECCLESIAE COLLEGIATAE AD VRVMQ. S. IOANNEM  
IN HAVGIS CANONICO.

PRO BACCALAVREATV THEOLOGICO  
ERVDITO EXAMINI OFFERT  
**FRANCISCVS LEIBES**  
WIRCEBURGENSIS  
AA. LL. ET PHILOSOPHIAE MAGISTER, REVERENDISSIMI  
ET CELSISSIMI PRINCIPIS NOSTRI IN SEMINARIO AD S.  
KILIANVM ALVMNVS CLERICVS, SS. THEOL. ET  
SS. CANONVM AVDITOR.

---

WIRCEBURGI IN AVDITORIO THEOLOGICO  
DIE XVI. AVGUSTI M DCC LXXVI.  
HORIS MATVTINIS.


---

TYPIS FRANCISCI ERNESTI NITRIBITT,  
VNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

1 m:

Bint. 389

E SW





*Cur thesum loco has primas lineas THEOLOGIAE REVELATAE his in paginis scripserim, ratio praecipua fuit, ut, alias ad aliquot tantum momenta seruiturae, possint sic esse posthac, dum successuo labore quid perfectius edere licebit, meis in Praelectionibus interimistico usui.*

*Dabo ad eundem finem, vice alia, simili occasione, et ANTHROPOLOGIAE REVELATAE prima elementa.*

*In duas has partes, methodo, vt credo,  
simplicissima et naturali totum DOGMATVM  
REVELATORVM systema diuisi.*

*Mens mihi, et studium fuit, ita pragma-  
tice ea disponere et tradere, vt suppleta ex  
Reuelationis documentis NATVRALI THEO-  
LOGIA, ANTHROPOLOGIAQVE PHILO-  
SOPHICA acquiri possit plena, completa, et  
optimorum etiam in corde humano ferax ef-  
fectuum, de DEO, RELIGIONE, ac HOMI-  
NE notitia, studio omnino facili et iucundo.*

PRAESES.

CAPVT



## CAPVT PROLEGOMENON.

---

### §. I.

 Primam notionem Dei, primaque Religionis elementa Deus ipse primis hominibus per immediatam Reuelationem dedit: — atque per continuatam Reuelationem extraordinariamque prouidentiam in mundo conseruauit — pro ratione indigentiae, et capacitatis humanae ampliauit — tandem in tempore perfecit sui notionem, et Religionem. (\*)

A

(\*) Iam

(\*) Iam quasi a priori ex situatione primorum hominum, et ex illuminatissimae caeteroquin humanae rationis circa Deum, et Religionem erroribus, tam dandae, quam continuandae reuelationis immediatae necessitas probari potest.

## §. II.

In libris biblicis Reuelationis huius doctrina, et historia, vt in monumentis summe authenticis continetur: sunt enim Deo ipso inspirante scripti, (\*) et incorrupti vsque ad haec nostra tempora deuenere (\*\*).

(\*) Plures ex hac serie librorum iam internis characteribus vt diuini sat clare commendantur:

Vniuersim autem totius collectionis diuinam originem et autoritatem ad evidentem credibilitatem probant testimonia totius nationis iudaicae, et Testamenti Noui, quoad Vetus Testamentum, quo ad nouum autem concors traditio totius christiani orbis inde ab exordio christianismi.

(\*\*) Corruptionem horum librorum impediuit originalium copia plurima, translatioque varia: Iudeorum inter se, ac cum Christianis, hosque inter orthodoxorum, et heterodoxorum reciproca aemulatio.

## §. III.

### §. III.

Duplex hic occurrit classis aduersantium: prima est eorum, qui distinctum a mundo Creatorem eius et gubernatorem Deum adeo existere negant; hos in propriissimo significatu Atheos vocant; (\*) altera complectitur eos, qui Deum quidem existere, et colendum credunt, cultum tamen eius qualemcumque vel ex sola ratione determinant,— vel Scripturam diuinam, Religionemque eius vniuersalem negantes, omnem Religionem promiscue probant; hos Deistas, Naturalistas, Indifferentistas etc. dicunt (\*\*).

(\*) Denturne tales dum queritur, ita sobrie affirmandum, ne cum BAYLIO in libro: *Pensées sur la Comète*, et aliis eorum numerus ita augeatur cum excessu, aut omnes etiam illi, qui atheismi incusantur, Athei reuera in eo, de quo controuertitur, sensu fuisse dicantur:

Ei, qui ad hominum diuersa ingenia, — ad vim passionum, et sophismatum reflectit, patebit, quam sit facile, vt quis negligat naturae vniuersae considerationem, per quam de existentia creatoris, et gubernatoris eius conuinci posset, et vt de contra-

rio, v. g. de aeternitate mundi, vel de fortuito eius ex motis atomis ortu persuadeatur; et consequenter quam sit possibilis talis, de quo quaeritur, atheismus:

Historia rem extra controuersiam ponit.

Cautela autem illa tenenda — ob vim penetrantem obuii illius ex consideratione naturae, argumenti pro existentia eius creatoris, et gubernatoris — ob suspectos fontes, ex quibus haec tam extensi atheismi iniuria et calumnia hauritur — ob rationes graues, quibus tam viri singuli, quam integri populi ab atheismi nota vindicantur — ob testimonia plurium Philosophorum, et christianorum etiam Patrum, qui ex consensu totius humani generis argumentum pro existentia Dei formant:

Praeter eos libros, quos enumerat JOANNES ALBERTVS FABRICIVS tam in *Bibliotheca graeca l. 5. c. 8.* quam in *Delectu argumentorum, et Syllobo Scriptorum, qui veritatem Religionis christianaee aduersus Atheos etc. etc. afferuerunt.*

Totam hanc de atheismo materiam sat fuse tractat liber nouissimus de generis humani consensu in agnoscenda diuinitate, opus metaphysicum, criticum, et historicum, in quo plures Recentiorum incredulorum, praesertim PETRI BAYLII confutan-

futantur errores, ac plurimi illustres Viri, pluri-  
maeque gentes tum veteres, tum recentiores ab athe-  
ismi nota vindicantur, conscriptum ab ALOYSIO  
BRENNA Romano, II. Volumina in 4. Florentiae  
1773. typis Regiae Celsitudinis apud CAIETANVM  
CAMBIAGI:

Prae pluribus aliis hic vsui erunt CICERONIS  
Libri de Natura Deorum, et

FRANÇOIS DE SALIGNAC DE LA MOT-  
TE FENELON *Demonstration de l'existence de*  
*Dieu, tirée de la connoissance de la nature 1712.*,  
qui liber iam 1713. anglice, 1714. germanice, et  
1715. belgice ob excellentiam versus prodiit.

(\*\*) Reuelatam Religionem in innumeris libris, et  
variis omnino armis oppugnant Deistae, Natura-  
listae, Indifferentistae etc. etc. Plurimi quoque  
ex omni Natione contra hos, et variis similiter  
armis illam defenderunt:

Vtriusque partis Scriptores, et argumenta re-  
censet BAVMGARTEN *Geschichte der Religionst-*  
*Partheyen. Erster Abschnitt:*

Prae aliis legi debent Opera Sanctorum Patrum  
apologetica pro veritate Religionis christiana:

Inter recentissimos libros sat commodo vsui est  
*Dictionnaire philosophique de la Religion, ou l'on établit*

—  
tous le points de la Religion , attaqués par les incredules et où l'on répond a toutes leurs objections par l'Auteur des Erreurs de VOLTAIRE IV. Tomes 1772. Prodiit haud ita pridem etiam in germana traductione Augustae Vindel.

Breuiissima et commodissima via est visa nobis ,  
in continua quadam historica serie ostendere , fac-  
tam reuera fuisse ad homines Dei Reuelationem.



THEO-

THEOLOGIAE  
REVELATAE  
SECTIO I.

REVELATIO  
VETERIS TESTAMENTI.

CAPVT I.

*Prima epocha a mundi exordio usque ad  
diuisionem hominum e terra Sennaar.*

§. I.

**E**st Deus, qui libero voluntatis suae decreto mundum vniuersum ex nihilo creauit (\*), eumque sapienter et iuste gubernat (\*\*). Huic creaturae rationales adorationem, obedientiam, et fiduciam debent: haec duo sunt prima et fundamentalia puncta humanae Religionis, et diuinæ Reuelationis.

(\*) Veram vniuersi originem ex solo MOYSE discimus Lib. I. Cap. I.

Conferantur cum hac simplici Philosophia M O Y-  
SIS Systemata Philosophorum de Origine rerum.  
Leguntur ea in des Herrn Abts Batteux Ges-  
schichte der Meynungen der Philosophen von  
den ersten Grundursachen der Dinge, aus dem  
Französischen überetzt 1773.

(\*\*) Gubernatio mundi sequentia complectitur : —  
Res creatas in propria singulis actiuitate, in certa  
serie, et nexus per omne aeuum conseruare —  
minimas etiam creaturarum vicissitudines decerne-  
re — causis liberis bene vtendi libertate regulas,  
et vires dare — conditionique earum morali con-  
sentanee iis vel praemia distribuere , vel poenas.

Quo homines conuincantur de existentia creato-  
ris, et gubernatoris mundi , et quo in practicam  
eius notionem deueniant, medium magis propri-  
um ac efficax non est, quam attenta consideratio  
huius ipsius mundi.

Praecipue inuerit meditari generis humani An-  
nales, et ad proprii indiuidui historiam quotidiana  
reflexione attendere.

## §. II.

*Primos humani generis parentes Deus ad hanc  
fui notionem duxit, et ad praestanda haec reli-*

*giosa*

gioſa, officia excitauit familiari instructione, et conversatione — dominii in vniuersam natu-ram, et gratuitae felicitatis summae concessio-ne, eiusque nunquam finiendae promiſſione — facillimi praecepti impositione — tristissimo-rum effectuum in transgressionis poenam com-minatione — horumque in transgressoribus executione (°).

(°) Legatur Lib. I. MOYS. Cap. II. — IV.

### §. III.

*Posteritati per peccatum primorum Paren-tum corruptae se iustum et sapientem mundi gubernatorem ostendit Deus, dum — fratrici-dam CAIN ad rationem patrati sceleris redden-dam vocauit — maiori hominum parti, Dei oblitae et scelestae, se, et proximum, nisi re-sipiscant, interitum per NOEMVM praedicari fecit — solam NOEMI familiam fidelem a com-muni per diluuium interitu miraculoſe ferua-uit — quae notionem Dei et Religionem ad*

nouum quasi postdiluvianum mundum ex ea  
oriturum propagaret (\*).

(\*) Legantur Lib. I. MOYSIS Cap. IV. VI. VII.  
VIII.

## §. IV.

*In statu humanae corruptionis (\*) accessit Reli-  
gioni et Reuelationi punctum aliud nouum,  
scilicet, expectare et praeparare medium, quo genus  
humanum sit restituendum: — Promissionem talis  
medii primam continet probabilissime versus 15.  
cap. III. Lib. Genesis (\*\*). — Ad hoc etiam me-  
dium respexit Deus, dum mysticam illam in  
externo suo cultu sacrificiorum ceremoniam  
ordinavit.*

(\*) De hac specialiter aget pars Dogmatis, et Pole-  
micas altera, Anthropologia reuelata.

(\*\*) Vide: *Primum de futuro hominum reparatore va-  
ticinium Genes. III. v. 15. Dissertatio iuangularis  
etc. Fuldae 1775.*

## CAPUT II.

*Secunda epocha: a diuisione e terra  
Sennaar vsque ad exitum Israelitarum  
ex Egypto.*

### §. I.

**H**omines post diluvium multiplicati, et ab inuicem turmatim dispersi a notione et Religione vera Dei successiue — ad confusam de Ente qualicunque superiore ideam, et ad superstitionem — demum in polytheismum lapsi sunt (\*).

(\*) 1. De Gentium Religione plurium sunt hypotheses diueriae — sunt, qui vniuersalem vbique atheismum, siue Spinosissimum ante SPINOSAM, vt LA CROZE *l'Histoire du Christianisme des Indes* — sunt, qui vbique veram, puramque veri Dei Religionem sub allegoriis regnasse, vt HYDE *de Religione VV. Persarum, CVDWORTH Systema intellectuale, JA- BLONSKY Panttheon Egypt. etc. etc.* opinantur.

Profana aequa, ac sacra historia fuisse verum in mundo polytheismum, testatur.

2. Non erant eadem gentibus omnibus polytheis  
Numina: Nationibus originalibus, siue primis, et  
propria industria cultis, vt Egyptiis Sol, Luna,  
Flumen patrium, variaque alia obiecta ex omni  
genere, solo humano excepto, creaturarum, Nu-  
mina fuerunt.

*Nationes non originales homines primos vitae  
commoditatum autores, vt Deos coluere.*

Labente tempore post mutua frequentata com-  
mercia populorum originalium, et non origina-  
lium Theologiae coaluere.

Vid. Versuch über die Religionsgeschichte der  
ältesten Völker, besonders der Egyptier von  
Christoph Meiners Professor der Welt-  
weisheit zu Göttingen 1775.

3. Imbecillitas humanae rationis in materia Re-  
ligionis hic vel maxime se manifestauit, dum, li-  
cer — vel solus ordo et sistema mundi vnum tan-  
tummodo mundi artificem, gubernatoremque osten-  
dat — licet vel ipsa iam idea Dei sit cum multitu-  
dine incombinabilis — licet inanitas idolorum ad  
oculum pateat. —

Legatur ISAIAE Caput XLIV. a v. 9.

Imo gentilis adeo HORATII Satyra VIII. Li-  
tri I. Olim truncus etc. etc.

Tamen

Tamen tam late extensus fuit polytheismus, cultusque idolorum, et quidem cum ritibus, quos vel ipsa natura horret.

Legant. Libri commendatissimi de *Praeparatione et Demonstratione Euangelica* E VSEBII PAMPHILI.

Et reliqui Apologetae primi Religionis christianaæ, vt ARNOBIUS, CLEMENS ALEX. etc. etc.

Etiam PLUTARCHI Liber de *Superstitione*.

### §. II.

*Vnum et solum Deum, qui creauit, et gubernat mundum, adorare homines digno cultu debent, et in hoc solo confidere. Hoc est dogma verae Religionis, Polytheismo oppositum.*

### §. III.

*Vt Deus, se solum esse verum Deum, ostenderet, suamque veram Religionem in mundo conseruaret, vnam ABRAHAE familiam reliquos inter homines elegit — ad maiorem distinctionem masculos huius familiae circum-*

*cidi*

cidi iussit. — Hanc, quae quidem per ISAAC propagabitur — esse multiplicandam in magnam nationem — esse possessuram terram Canaan — esse habituram se specialiori modo in Deum promisit — multiplicem benedictionem, et palpabilem in omnibus occurrentibus casibus protectionem experiri fecit — familiari semper cum ea conuersatione usus.

#### §. IV.

Vt Deus veram vnius Dei Religionem in mundo per hanc familiam *propagaret*, voluit Patriarchas sui solius cultores fideles, et sic specialiter distinctos vitam agere vagam — insigniumque aliorum populorum patres, vt ISMAEL, ESAV etc. etc. ab iisdem hisce Patriarchis accipere et ortum, et de Deo vero, vera que Religione instructionem.

#### §. V.

Qui genus humanum lapsum *restituet*, filius ABRAHAE, ISAAC, et IACOB erit: Ita tribus

tribus hisce Patriarchis repetita promissione dicitur: *In te, in semine tuo benedicentur vniuersae cognationes terrae.* — IACOB autem moribundus ex filiis duodecim prophetice designat iudicandam, ut patrem huius sibi promissi filii: *Genesis cap. XLIX. a v. 8 (\*).*

(\*) Legatur Lib. I. MOYS. a Cap. XII. ad finem usque.

### CAPVT III.

*Tertia epocha ab exitu Israelitarum  
ex Egypto usque ad occupationem  
terrae Canaan.*

#### §. I.

Multiplicato humano genere, crescenteque magis superstitione et polytheismo, Deus, ut fortissimis argumentis se vnicum et solum Deum, Dominum vniuersae naturae ostenderet, I.) Israelitas iam in nationem insignem multiplicatos ex Egypto — secundum datam ante

an-

annos vltra trecentos promissionem — renitente humana omni vi — per miracula eduxit. 2.) Populum hunc per miraculosam prouidentiam in terram Canaan introduxit. 3.) Per hunc populum, vnius Dei cultorem, executus est debitam Canaanitis ob idolatriam, superstitionem, et alia cognata hisce crimina, iustam vindictam (\*).

(\*) Effectum intentioni Dei respondisse, exemplo est Rahab Ierichuntina. Iosue Cap. II.

## §. II.

Quo firmius conseruaret Deus hac in natione sua electa vnius veri Dei notionem, et Religionem veram, ipse nationis huius sacram et ciuilem politiam ordinavit. — *Lex fundamentalis Religionis et Status Israelitici simul lata est: Colere solum Deum Iehoua per filialem amorem, per fiduciam in solam eius prouidentiam, per exactam caeterarum legum obseruantiam.* — *Delicta spiritui huius legis vel maxime contraria pro-*

hibi-

hibita sunt: — Extra, vel praeter Deum Ieboua,  
*Deos gentium adorare, aut harum ceremonias ad veri  
 Dei cultum arbitrarie transferre* — *Ariolos, Pytho-*  
*nesue consulere* — *inuisibilis Dei imaginem forma-*  
*re etc.* *Sanctio haec addita: Felicem fore natio-*  
*nem, banc legem fideliter si obseruauerit, transgressam*  
*autem, multipliciter infelicem (\*)*. *Praeterea, quo*  
*adhuc alio Deus vteretur stimulo, nationi huic*  
*suae beneficium omnium maximum, liberatio-*  
*nen scilicet ex Egypto, frequentem vocavit*  
*in memoriam.*

(\*) Quod et de futuræ vitae praemiis, poenissimisque inter Israelitas constiterit, plurima in Libris MOYSIS, Psalmis, Prophetis, Libro IOB etc. restantur vestigia: plura in Anthropologia.

### §. III.

Officia promissi Saluatoris generis humani  
 hac in epocha mystice per Aaronicas ceremonias (\*), et prophetice per verba MOYSIS L. V.  
 cap. XVIII. v. 15: *Prophetam de gente tua et de*

*fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus,  
ipsum audies: exprimuntur (\*\*).*

(\*) Leg. Epistolae PAVLI ad Galatas, et ad Hebreos.

(\*\*) Continetur tota haec Epochæ in IV. Libris MOYSIS, et in Libro IOSVE: Coaeuuus huic Epochæ liber IOB diuinæ prouidentiae monumen-  
ta continet, et ad fiduciam in solum Deum Iehoua pulcherrimo exemplo excitat.

## CAPVT IV.

*Quarta epocha ab occupatione terrae  
Canaan ad captiuitatem babylonicam.*

### §. I.

Per nationem israeliticam diuinis institu-  
tionibus modo formatam *totus quasi mundus*  
*reliquus* noscere Deum vnum verum Iehoua po-  
tuit, veramque discere Religionem; — oppor-  
tune enim terra Canaan, orbis tunc habitati  
quasi centrum, in praecipuum prouidentiae di-  
uinæ theatrum fuit electum (\*); — ubi na-  
tio-

tiones reliquae percipere admirabilem nationis israeliticae ortum, per fidem in vnum solum Deum, super ruinas polytheismi et nationum polytheorum, potuerunt — et videre vicissitudinem fatorum huius populi relativam semper ad eius in Deum suum fidem, vel Religionis, legisue suae desertionem (\*\*).

(\*) Videantur, qui terrae sanctae geographiam scripsere; recentior prodiit Lipsiae, et Bremae Wilhelmi Albert Bachiene ac. historische und geographische Beschreibung von Palästina. Aus dem Holländischen.

(\*\*) Iudicum tempore per continuas vices modo opprimebatur a vicinis populis, dum a Deo suo, suave lege recesserat; modo reuersus ad Deum, et legem poenitendo, per miraculosam etiam prouidentiam restituebatur.

Sub pio Regum DAVIDIS et SALOMONIS regimine, horumque religioso labore vera Dei Religio maxime viguit, sed et tunc nationalis populi felicitas gradum supremum tenuit.

Prævalente sub aliis Regibus idolatria — totius nationis in duo regna diuisio — utriusque

regni varia oppressio — regni Israelis finis matu-  
rus — regni Iuda septuaginta annorum captiu-  
tas — templi et Ierusalem destructio — nationem  
integram successiue quasi extinguebant.

Fecit interim in utroque regno nonnullorum  
Regum pietas et Dei in Religionis mercedem vi-  
cissim munifica liberalitas in hoc Religionis et na-  
tionis occasu quaedam interstitia , ut testantur An-  
nales Regis IOAS in Isr-el , et in regno Iuda Re-  
gum IOSAPHAT, IOATHAN, EZECHIAE etc.

Pressos etiam cum fontibus in nationali calami-  
tate paucos fideles diuersa consolatione Deus susti-  
nuit : Exempla suppeditant *Liber TOBIAE, Liber*  
*ESTHER* etc.

## §. II.

Specialis prouidentiae res erat, dum Deus  
excitauit *Viros Prophetas*, qui praedicando et  
operando labantem inter Israelitas veram Reli-  
gionem sustentarent (\*), et gentibus aliis often-  
derent inanitatem idolorum dominantisque su-  
perstitionis, et veri Dei Iehoua veram Reli-  
gionem (\*\*).

(\*) In-

(\*) Inter alia p̄aeprimis memorabile est exemplum Regis EZECHIAE L. IV. Reg. Cap. XX., vbi Deus per ISAIAM Cap. XXXI. Prophetæ eius docuit, quam sit spiritui veræ Religionis contraria, et in Israelita caeteroquin fideli reprehendenda, puniendaque leuior forsan etiam in suis, aut aliorum hominum viribus fiducia.

(\*\*) Legatur inter alia hic, etiam victoriosa illa contentio ELIAE Prophetæ cum sacerdotibus Baal Lib. II. Reg. Cap. XVIII.

Refertur quoque huc inter diuinæ prouidentiae ad instruendos Israelitas, et Gentes media: Ruina illa Numinis philistæi Dagon præsente Arca Dei Iehous. Lib. I. Reg. Cap. V.

### §. III.

Prophetarum etiam fuit, complere præparationem medii, quo restituendum erat genus humanum: e familia DAVID oriturum esse Salvatorem mundi, DAVIDI ipsi diuinitus promittitur (\*). Huius filii DAVID notas distinctivæ mira cum harmonia tot ante eius ortum saeculis describunt, idem DAVID, et sequentes

ipsum Prophetae plures, a se inuicem aetate,  
loco, charactere, instituto remotissimi.

(\*) Conferantur *Lib. III. Reg. Cap. VII. cum Psalm.  
LXXXVIII. etc. etc.*

### §. IV.

Hoc autem est compendium *vaticiniorum*  
de venturo Saluatore mundi: 1.) Filius Dei,  
Deus ipse ex Virgine — de familia DAVID —  
in Bethlehem Iuda — LXX. annorum hebdo-  
madibus a soluta per CYRVM captiuitate baby-  
lonica euolutis — homo nascetur — praedica-  
bit — miraculose multis benefaciet — patie-  
tur — occideretur — resurget. 2.) Genus hu-  
manum restituet — dum mors eius sacrificium  
pro hominum peccatis erit — dum humani  
generis hostes potentes vincet, — dum per  
Spiritum Dei, quem missurus est, imbecillitas  
hominum abundantius sanabitur. 3.) Religio-  
nem perficiet, et dilatabit — dum idololatria  
finem accipiet — dum nationalis Religio Iu-

daeo-

daeorum secundum ritum AARONIS valorem et usum perdet — dum surget per ipsum communis nationibus omnibus noua Religio, cum plena notione Dei, perfectaque moralitate (\*).

(\*) ISAIAS praesertim a Cap. I. - XII. et a Cap. XXXII. usque ad finem; et DANIEL Cap. IX. has omnes praeter alias circumstantias vitae diffusas per plures alios propheticos libros de Salvatore mundi Prophetias in compendio scribunt.

Tota haec epocha occupat *Libros Iudicum, Regum, Paralipomenon, Psalmos, Libros XIV. Prophetarum.*

## CAPVT V.

*Quinta epocha a reditu e captiuitate babylonica usque ad aduentum Christi.*

### §. I.

Hac in epocha transitus fit ab antiquo ad nouum et uniuersale testamentum, a CHRISTO stabiendum. I.) Enim modo aperatum fit, Dei circa hanc nationem, oeconomi-

am non tam nationalem eius felicitatem, sed potius finem, et altiorem, et vniuersaliorem intendisse, dum Deus praescius licet, per indocilem populi huius duritiem et sensualitatem stabiliri non posse nationalem eius felicitatem, eum tamen in Canaan duxit — nutantem continuo veram inter Religionem et idololatriam non reliquit — dispersum inter varias gentes post vehementissimas status reuolutiones conservauit — et partem eius in Canaan reduxit, quae nationem, statum, urbem, templum, et Aaronicum ritum aliquo modo restitueret.

## §. II.

2.) Post redditum e captiuitate babylonica ipsam israeliticam nationem maior quotidie experientia de Mosaicae oeconomiae insufficientia conuincebat — residuus enim *status* israelitici *splendor* in subiectione sub aliis gentibus, sub alienigena HERODVM familia, sub romana monarchia — *Spiritus autem Religionis* israeliticae non quidem in idololatria amplius, tamen in

fidu-

fiducia in humanas vires, in Sadducaeismo, in Phariseismo etc perdebatur; et inde communis, sed diuersis ex motiuis, et diuersis sub ideis venturi CHRISTI exspectatio nata.

### §. III.

3.) Vniuersum ratio humana modo infantiam egressa sufficienter culta erat. — Indignitas idolatriae multis perspecta melioris Theologiae desiderium excitabat. — Iudei per vniuersum orbem dispersi suae Religionis notitiam spargebant — plures ex gentilibus reuelationis iudaicae libros legebant — alii adeo sacris Dei Iehoua Israel communicabant — deinceps Romanorum in orbem vniuersum monarchia nouae Dei Reuelationi vndeque iter aperiebat (\*).

(\*) Legantur *Libri ESDRAE, NEHEMIAE, Prophetiae AGGAEI, et MALACHIAE, Librique MACHABAEORVM, item Libri JOSEPHI FLAVII.*

B, THEO-

THEOLOGIAE  
REVELATAE  
*SECTIO II.*

REVELATIO  
NOVI TESTAMENTI.

CAPVT I.

*Persona Messiae.*

§. I.

**C**irca annum mundi quater millesimum appa-  
ruit exspectatus Saluator generis humani,  
**I**ESVS E NAZARETH. In hoc impleta sunt om-  
nia Prophetarum de Messia oracula (\*): Talem  
se ipse vocavit **I**ESVS NAZARENVS — talemque  
ipsum praedicarunt eius Apostoli — confirman-  
te id Deo plurimis miraculis (\*\*).

(\*) Conferatur historia euangelica **I**ESV NAZA-  
RENI cum Prophetiis de venturo **CHRISTO.**

OHHT

Com-

Commodi hic usus erit Concordia quatuor Evangeliorum edita Wirceburgi typis Stabelianis 1765.

*In specie DIVINITAS IESV* sequentibus in locis prae aliis clarius afferitur:

1) Totum mysterium Incarnationis exprimit IOANNES Cap. I. a v. 1. - 14.

2) Apud eundem IOANNEM Cap. V. a v. 1. - 47.

Item Cap. X. a v. 22. - 39.

Apud MATTHAEVM Cap. XXII. a v. 41. - 46.  
CHRISTVS ipse se Deum vocat, et probat.

3) Praecipuum inter reliqua ex Apostolicis scriptis pro diuinitate IESV testimonia, est doxologia PAVLI in Epistola ad Rom. Cap. IX. v. 5.

(\*\*) Miracula magis illustria sunt sequentia:

1) CHRISTI: Resuscitatio LAZARI apud IOANNEM Cap. XI. a v. 17. - 46.

Resuscitatio filii viduae in Naim apud LVCAM Cap. VII. a v. 11. - 17.

Sanatio daemoniacorum in regione Gerasenorum apud MATTH. Cap. VIII. a v. 28. - 34.

Sana-

Sanatio caeci nati apud IOANNEM Cap. IX.

a v. 1 - 41.

2) *Apostolorum*: Sanatio claudi ad portam templi in *Actibus Apost.* Cap. III. a v. 1 - 16.

Expulsio spiritus pythonis in *Actibus Apost.* Cap. XVI. a v. 16. - 18. etc.

### §. II.

Errores circa personam Messiae magis famosi, et polemico examine digni sunt: 1.) ARIANISMVS: CHRISTVS est Pater minor, ab hoc ex nihilo ante mundum conditus (\*). ARIANISMVS MODERNVS SVBTLIOR: CHRISTVS naturam diuinam libera voluntate Patris accepit, et est huic subordinatus (\*\*). SOCINIANISMVS: CHRISTVS est purus homo ante MARIAM non existens, Deus ob praeccellentes dotes et munus diuinum improprie dicendus (\*\*\*)

(\*) Historia Arianismi legitur apud EVSEBIVM, SOZOMENVM, SOCRATEM, et THEODORETVM.

(\*\*) Arianismi moderni classicus Liber est die Schrifte  
Lehre

Lehre von der Dreyeinigkeit vom Samuel Clarke aus dem Englischen übersezt.

(\*\*) Fontes historiae et controversiae Socinianaæ nullibi inueniuntur collectum melius, quam in Baumgarten's Geschichte der Religionen: Partheyen. 1ster Abschnitt,

Polemica subsidia contra hosce errores inueniuntur in *Actis Concilii Nicaeni I. Collect. Hardu. Tom. I.* vbi etiam plures particulares Synodi inueniuntur Arianorum causa habitae :

Inter Patres legantur BASILII Liber contre EVNOMIVM, GREGORII NYSSENI Liber contra eundem; HILARII PICTAV. Libri de Trinitate: inter Opera ATHANASII occurrit etiam digna lectu Disputatio atque Controversia super fide catholica inter D. ATHANASIVM contra ARIVM. etc. etc.

### §. III.

2.) NESTORIANISMVS: *Duae sunt in CHRISTO personae, nec MARIA dici Deotokos debet.* EUTYCHIANISMVS: *Vna tantum est in CHRISTO natura post incarnationem.* MONOTHELETISMVS:

*Vna*

*Vna tantum est in CHRISTO voluntas, et una tantum actio* (\*).

(\*) Historiam horum errorum, et polemica contra eos subsidia inuenire est in Actis Conciliorum contra singulos habitorum: scilicet Concilii Ephesini contra Nestorianismum, apud HARDVIN. Tom. I. Concilii Chalcedonensis contra Eutychianismum, apud HARD. Tom. III.

Addatur EVAGRII *Historia ecclesiastica* ab anno 431. - 597. LEONTII BIZANTINI tres Libri contra NESTOR. et EVTYCH.: FACUNDI HERMIAN. Liber unus contra MORIANVM SCHOLASTICVM de duabus in CHRISTO naturis —

Concilii Constantinop. III. contra Monothelitas apud HARDV. Tom. III.

Addantur THEOPHANES in *Miscell.* et CEDRENVS.

Reliquas circa CHRISTI personam haereses minoris momenti, ut Apollinarismum etc. etc. legere sufficit in *Historia Ecclesiastica litterariae* tantum notitiae causa.

## CAPVT II.

*Messiae officium primum: Restitutio  
generis humani.*

### §. I.

**I**ESVS reconciliauit genus humanum Deo, pro eo sua morte satisfaciens (\*).

(\*) Legatur PAVLVUS in *Epistola ad Rom. Cap. V.*, vbi IESVM CHRISTVM opponit ADAMO, per quem perditum est genus humanum.

Dein in *Epist. ad Ephes. Cap. V. v. 2.*

In *Epist. ad TITVM Cap. II. v. 14.*

In *Epist. ad Hebrae. Cap. VII. v. 27. Cap. IX. etc.*

Legatur et PETRVS in *Epist. I. Cap. I. v. 18.*

Pertinet hoc dogma Symboli Apost. Descendit ad inferos, ex *Epist. I. PETRI Cap. III. v. 19.* De quo

Consulatur *Catechismus Concil. Trid.* in explicatione huius articuli.

### §. II.

IESVS redemit genus humanum e potestate diaboli (\*).

(\*) Ge-

(\*) Generaliter de hac redempzione loquitur CHRISTVS apud IOANNEM Cap. XII. v. 31.

PAVLVS ad Hebraeos Cap. II. v. 4.

IOANNES Epist. I. Cap. III. v. 8.

*Idem in Apocalypsi Cap. XII. v. 9. - 10.*

In specie: 1) CHRISTVS virtute sua daemonicos sanauit:

Vide: LVCAS Cap. VIII. et

MATTHAEVS Cap. VIII.

2) Hanc ipsam potestatem suis Discipulis dedit:

Vide: MARCVS Cap. XVI. v. 17.

MATTHAEVS Cap. VI. v. 22. - 23.

Cum pluribus alijs ORIGENES contra CELSVUM de exercitio huius potestatis in primis post Apostolos etiam temporibus Christianismi non infrequenti testatur.

3) Virtute IESV daemones oracula reddentes obmutuere: testantur id primi Apologetae Religionis christianaæ etc.

Vid. Controuersia de veris Autoribus oraculorum in Libro typis Engmannianis Wirceburgi edito in versione latina: *Historia de silentio Oraculorum.*

4) IESVS contra tentationes diaboli vires abundant-

undantissimas suam legem obseruantibus, et orantibus promisit:

Vid. PAVLVS Epist. ad Hebr. Cap. II. v. 18.  
Epist. ad Ephes. Cap. VI. a v. 10 - 18.

### §. III.

Parta per IESVM supernaturalis gratiae auxilia (\*) a Spiritu S. novo hoc in testamento dispensantur (\*\*) abundantius (\*\*\*)�.

(\*) IESVM esse autorem auxiliorum gratiae supernaturalis, quae pro exigentia humanae infirmitatis iam inde a lapsu primorum Parentum distribuuntur, fundatur in generali mediationis idea, et patet ultra

1) Ex IOANN. Cap. I. v. 9. atque

Ex Epist. PAVLI ad Rom. Cap. VII. v. 15. - 25.

2) Ex eo, quod ipse Spiritum S. missurus erat:

Videantur IOANNES Cap. XIV. v. 16. - 17.

— — Cap. XV. v. 26.

— — Cap. XVI. v. 7. 13. - 15.

PAVLVS ad TITVM Cap. III. v. 6.

3) Ex eo, quod PAVLVS docet ad Hebr. Cap. VII.  
v. 24. - 25.

(\*\*) Spiritum S. esse horum gratiae auxiliorum immēdiatum dispensatorem patet

Ex EZECHIEL. Cap. XXXVI. v. 26.-27.

Quem locum magis determinant

PAVLVS ad TITVM Cap. III. a v. 3.-7.

STEPHANVS in Actibus Apost. Cap. VII. v. 15.

PAVLVS ad Corinth. I. Cap. VI. v. 11.

Et ad Rom. Cap. V. v. 5.

Caeterum vt plenius noscatur Spiritus S. vt Persona diuina, legatur apparitio eius in CHRISTI baptisme apud MATT. Cap. III. v. 16.

Et altera eius apparitio in die Pentecostes in Actibus Apost. Cap. II.

Dein legatur, quid de Spiritu S. dicatur in Actibus Apost. Cap. XXVIII. v. 25. collato cum v. 8. Cap. VI. ISAIAE,

In Actibus Cap. V. v. 3. 4. 9. etc.

Demum addatur v. 19. Cap. XXVIII. MATTHÆI.

(\*\*\*) Abundantius modo dispensari auxilia supernatura-  
lis gratiae, satis iam patet ex PAULO ad Hebreos  
Cap. VIII. a v. 6.-11.

## §. IV.

De primo hoc Messiae officio varia sunt variorum heterodoxa systemata: PELAGIANI et SOCINIANI vna cum lapsu generis humani, necessitatem quoque satisfactionis et gratiae negant. Satisfactionis et gratiae effectus ad partem tantum humani generis a IESV fuisse restrictos, sequela est PRAEDESTINATIONISMUS. Plures ex sic dictis REFORMATORIBVS satisfactionem et gratiam sibi talem finxerunt, ut priuatae satisfactioni, priuato merito, imo et arbitrio libero locum adimerent (\*).

(\*) Anthropologiae reuelatae longius examen polemicum horum systematum reservatum est, sine qua nec haec de Messiae officio primo dogmata rite intelliguntur.

## §. V.

Duo adhuc alia Polemices obiecta hoc in capite occurrunt: 1.) *Daemonologia moderna quorundam hodiernorum DOCTORVM PROTESTANTIVM.*

TIVM, his fere in propositionibus contenta: —

*Materia de daemonibus ita est indifferens, ut eam in institutionibus theologicis omitti praestaret.* —

*CHRISTVS et Apostoli curarunt tantum naturaliter aegrotos, et de iis secundum opinionem Iudeorum eos energumenos credentium nat' cimovopiar loquuti sunt.* — *Supposita etiam daemonum existentia nullae sunt eorum bodie ad hominem qualitercunque tentandum vires etc.* (\*).

(\*) Inter plures libros, qui nouam hanc continent exegesin; et modernam talem daemonologiam, exempli causa primo obuios nomino: D. Jo-  
hann Salomo Semlers umständliche Un-  
tersuchung deren dämonischen Leuthen, oder  
sogenannten Besessenen, nebst Beantwortung  
einiger Angriffe. Halle. 1762. et

Wilhelm Abraham Tellers Wörter-  
buch des N. Testaments. Berlin. 1773. etc.

## §. VI.

2.) Alterum obiectum sunt pneumatomachi er-  
viores: MACEDONIANORVM: Spiritus S. non est  
eius-

*eiudem cum Patre et Filio substantiae, sed utriusque creatura, famulus, et minister (\*).* SOCINIANORVM: *Spiritus S. non est persona, sed virtus et efficacia Dei.* GRAECORVM SCHISMATICO-RVM: *Spiritus S. a solo Patre procedit (\*\*).*

(\*) Erroris MACEDONIANI historia inuenitur in iisdem, qui et arianam historiam scripsere, Autribus supra citatis.

Vid. etiam *Acta Concil. Constantinopolitani I.* apud HARD. Tom. I.

(\*\*) Ultimae Graecorum cum Catholicis controversiae leguntur in Actis Conciliorum Constantinopolitani IV. Lateran. IV. Lugdun. II. Florent. apud HARD. Tomis V. VII. IX. Inter Patres legendi sunt praecipue ATHANASIVS *Lib. de Spiritu S.* ad Serap. BASIL. *Lib. de Spiritu S.* et ad Amphiloch. GREGOR. NYSSEN. *Lib. de SS. Trinit.* etc.

## CAPVT III.

*Messiae officium alterum: Reuelatae Religionis perfectio et extensio.*

## §. I.

**P**er IESVM fundamentale reuelatae Religionis, et primum dogma: Deus est tantum unus: ad pleniorē Diuinitatis notionem ita fuit explicatum: *Vnus Deus sunt tres personae, Pater, Filius, et Spiritus S.* (\*)

(\*) 1) Repetit IESVS apud MARCVM cap. XII. v. 19. illud DEUTERONOMII cap. VI. v. 4.

Apud MATTH. autem cap. XXVIII. v. 19. per fidem in tres personas nouae suae Religioni homines inaugurari iubet.

Repetantur hic, quae praecedentibus in Capitibus huius Sectionis de Personalitate et Diuinitate Filii et Spiritus S. notata sunt.

2) Quomodo tres Personae tam sint intime sibi unitae, ut una individus potentia, sapientia, prouidentia, mundum hunc crearint, regantque (qui est conceptus biblicus Dei), mysterium est, cum nihil

nihil sit illi in creata natura simile, humano intellectui plane impenetrabile.

Intimam et strictissimam vniōnem (Ecclesia eam consubstantialitatem vocat) exprimit CHRISTVS apud IOANNEM cap. X. v. 30. et 38. cap. XVI. v. 15.

Incomprehensibilem autem humanae rationi eadem esse, simul monet CHRISTVS apud LVCAM cap. X. v. 22.

*Relationes harum trium Personarum ad inuicem, pro indigentia captus humani cum quadam ad res humanas analogia proponuntur quidem;*

Haec tamen cautela summe necessaria est, ut a significatu talium vocum, vbi de diuinitate usurpantur, remoueatur, quidquid limitatum est, et imperfectum, relicto solo, quod perfectionem tribuit suo subiecto.

Exemplum suggerit THOMAS AQVI. IV. contra Gentes 8. ex S. HILARII Libro de Synod. circa initium: *Processio Verbi nunc generatio dicitur, nunc creatio, ut ita verbo tribuatur, quidquid est perfectionis, remoueatur econtra, quod est imperfectionis: nam in generatione, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est; sed in generationibus, quae sunt apud nos, generans ipse*

*mutatur, quod imperfectionis est; in creatione vero  
creans non mutatur, sed creatum non recipit natu-  
ram creantis, dicitur ergo Filius simul creatus et ge-  
nitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris,  
ex generatione unitas naturae in Patre et Filio.*

### §. II.

*Reliqua de Deo dogmata, quae eius erga  
genus humanum relationes exprimunt, maiori-  
cum energia per CHRISTVM et Apostolos re-  
petita sunt (\*); aliae veritates, quae anthropo-  
logiam reuelatam efficiunt, potissimum ex Euan-  
gelio et apostolicis epistolis hauriuntur.*

(\*) Sic res hominum minimas diuinam prouiden-  
tiam complecti, pulcherrima comparatione nos  
docet IESVS apud MATTHAEVM cap. VI.  
v. 26, et cap. X. a v. 29. &c.

Et vniuersim nouo hoc in Testamento Deus  
se saepius Patrem hominum, hosque suos filios  
vocat, dum antea potius vt Dominus egerit, et  
Creatoris saepius authoritate usus fuerit.

### §. III.

### §. III.

Huc pertinet adhuc, praeter nomina-  
tas supra (Sect. II. Cap. I. et II.) contra diui-  
nitatem IESV, et Spiritus S. haereses, noti-  
tia polemica aliorum errorum ANTITRINI-  
TARIORVM. — SABELLIANISMUS: *Pater et Fi-  
lius et Spiritus S. una, atque eadem est Persona, idem  
Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. no-  
minatur, nec aliis est qui genuit, alias qui genitus est,  
alias qui de utroque processit, singularis unitas in tri-  
bus quidem vocabulis, sed non in tribus est accipienda  
personis (\*).*

(\*) Legitur historia huius erroris apud EPIPHAN.

*Haeresi 57. 65. 71.*

Apud AVGVST. *Lib. de Haeres. cap. 36.*

Apud THEODOR. *L. 2. haeret. fabul. etc.*

Inter Patres oppugnatores huius erroris legantur:

**TERTULL.** *contra PRAXEAM, et*

**HYPPOLITVS FORTV.** *Martyr contra NOE-  
TVM. etc.*

## §. IV.

**TRIFORMISMI:** *Quaedam pars Dei est Pater, quaedam Filius, quaedam Spiritus S. Ex his partibus ita completur Deus, ut nec sit perfectus in se ipso Pater, nec Filius, nec Spiritus S. sed tres unius Dei partes sint, quae faciant istam Trinitatem* (\*). **TRITHEISMI:** *Tres sunt in diuinis singulares naturae, ac indiuiduae substantiae, quae sunt una natura specifica* (\*\*). **TRITHEISMI RECEN-**  
**TIORIS:** **ROSCELINI** — **PETRI ABELARDI** —  
**GILBERTI PORRETANI** — **IOACHIMI ABBA-**  
**TIS** etc. ex subtilitatibus Aristotelicae Metaphy-  
sicae nati (\*\*\*).

(\*) Legatur **AUGVST.** *Lib. de haeres. cap. 74.*

(\*\*) Legatur **PHOTIVS** in *Bibl. Cod. 24.* et  
**NICEPHORVS** in *Breuiario bish. Eccles. Lib.*  
*XVIII. cap. 47.* et *cap. 49.* vbi et de quo-  
dam **TETHRATEISMO** meminit.

(\*\*\*) Quorum hi errorum incusati sint, legitur apud  
**ANSELMVM CANTV.** *Lib. de fide Trinit. et In-*  
*carn. contra ROSCELINI blasphemias;* apud **BER-**  
**NARDVM** *Tract. de erroribus PETRI ABELARDI.*

In

In *Actis Conciliorum Suescionensis, Senonensis, Late-*  
*ravensis IV.* apud HARDV. Tom. VII.

Nec desunt, qui pro illis apologias scripsere, ut  
 PETRVS BERENGARIUS pro ABELARDO.

NATALIS ALEX. pro IOACHIMO ABBATE.

Accessit haud ita pridem historiae huius dogma-  
 tis, noua expositio eiusdem per librum: *Dogma*  
*Scholasticorum de unitate in Trinitate, collatum cum*  
*celeberrimorum Ecclesiae Patrum etc. etc. eadem de-*  
*re doctrina, ad explicandum primarium fidei chri-*  
*stianae caput etc. etc.* Autore PLACIDO STÜR-  
 MER, Cronungeni, O. S. Bened. Presbytero. *Ve-*  
*netiis 1772.* publicam haec explicatio Theologo-  
 rum censuram tulit.

Praeter Patres iam supra nominatos, commen-  
 dari hic inter multos alios meretur ARNOBIUS  
 IVNIOR, Saeculi V. Scriptor, vel, ut alii non  
 improbabiliter malunt, VIGILIVS TAPSENSIS,  
 qui de hoc mysterio ad popularem captum sat ac-  
 commode scribit in *Altercatione cum SERAPIO-*  
*NE EGYPTIO de Deo trino et uno:* edidit eam  
 FEVARDENTIVS in appendice ad IRENAEVM.

### §. V.

Moralis Euangelica sequentibus praerogati-  
 uis distinguitur: I.) Interno potius cultu, quam

exter-

externis ceremoniis adorandus est Deus (\*). 2.) Omnes homines sineulla limitatione, aut exceptione efficaciter sunt amandi, etiam inimici (\*\*). Iniuriis beneficia retribuantur (\*\*\*)�. Vinculum matrimonii sola morte soluitur (\*\*\*\*). 3.) Fidelitas etiam in minimis praestanda (\*\*\*\*\*). Licitis vitae voluptatibus et commodis voluntarie propter Deum carere meritum est (\*\*\*\*\*). Pro mercede non tam mortalis, quam futurae vitae praemia expectanda sunt (\*\*\*\*\*). etc. etc.

(\*) Vid. IOANN. Cap. IV. a v. 19 - 24.

PAVLVS Epist. ad Rom. usque ad Cap. XII. inclus.

Legantur etiam variae inuictiuse CHRISTI in hypothesin pharisaicam: apud LVCAM Cap. XI. a v. 37 - 54. et Cap. VI. a v. 1 - 11.

Apud MARCVM Cap. VII. a v. 1 - 23.

(\*\*) Vid. LVC. Cap. X. a v. 25 - 37.

MATTH. Cap. V. a v. 43 - 48.

PAVLVS ad Rom. Cap. XII. ubi desumpta ab humano corpore comparatione docet, quam si necessarium, ut quilibet pro ratione sua prodefesse studeat aliis.

Et in Epist. I. ad Corinth. Cap. IX. a v. 18. se nobis in Exemplum proponit.

Ref-

Referatur hue illa Parabola CHRISTI apud  
MATTH. Cap. XXV. a v. 14-30.

*Amoris erga inimicos exemplum, quod IESVS  
ipse in IUDA proditore et crucifixoribus ostendit,  
imitatus est STEPHANVS in Actis Apostol.  
Cap. VII. v. 59.*

(\*\*\*) Leg. MATTH. Cap. V. a v. 38-41. et Cap.  
XVIII. a v. 21-35.

(\*\*\*\*) Leg. MARC. Cap. X. a v. 2-12.

LVC. Cap. XVI. v. 18.

PAVL. ad Corinth. I. Cap. VII. v. 10-11.

MATTH. Cap. V. a v. 31-32. et Cap. XIX.  
a v. 3-9.

(\*\*\*\*\*\*) Vid. MATTH. Cap. V. a v. 21-22. 27-28.  
Generaliter loquitur v. 19.

Et IACOB. Epist. Cap. II. a v. 10-11.

(\*\*\*\*\*\*) Vid. MATTH. Cap. XIX. a v. 10-12.

PAVLVS ad Corinth. I. Cap. VII. v. 25. 40.

MATTH. Cap. XIX. a v. 16-29.

(\*\*\*\*\*\*) Vid. apud MATTH. Cap. V. a v. 1-12.  
Sermo CHRISTI de beatitudinibus.

Et Cap. X. a v. 16-28. Missio Apostolorum.

LVC. Cap. XIV. a v. 25-27. praeceptum de  
sui abnegatione.

Vniuersim totam moralem christianam sparsam  
per quatuor Euangelia, et apostolicas epistolas  
oportet conferre cum mosaica lege, vt plene pa-  
teat, quot praerogatiis praecellant Euangelii le-  
ges, et motiva.

## §. VI.

Ritus Aaronicus per IESVM valorem per-  
didit, et usum (\*). Substitutus autem nobilior  
externus Dei cultus, duobus specialiter ex titu-  
lis praefstat: 1.) In Missa unum sacrificium, si-  
mul latreuticum, eucharisticum, propitiato-  
rium, imperatorium, incruento modo offer-  
tur quotidie ipse IESVS. 2.) Reliquae princi-  
pales ceremoniae, septem Sacraenta ex opere,  
ut aiunt, operato iis, in quibus rite peragun-  
tur, ipsam iustitiam, sanctitatem, et gratiam  
vel primo conferunt, vel augent (\*\*).

(\*) Perditum per IESV mortem ritus Aaronici va-  
lorem, constat ex eo, quod venturi Salvatoris  
mundi tantum umbra erat et figura. Vid. §. III.  
Sect. I. Cap. III.

Inde

Inde IESVS mox moriturus exclamauit: *Consummatum est*, apud IOANN. Cap. XIX. v. 30. et

Dum exspirauit, *velum templi scissum est*, narrante MATTH. Cap. XXVII. v. 50-51.

Legi sublimior Philosophia non potest, illâ PAVLI Apost., qua abrogationem Aaronici Ritus probat in suis epistolis ad Rom., ad Corinth. II. ad Galatas, ad Hebreos.

*Vsum autem, et exercitium huius ritus reddiderunt impossibilem, fata, quae praedicentibus DANIELE Cap. IX. et ipso IESV apud LVCAM Cap. XXI. a v. 5.-24. nationi iudaicae ob CHRISTVM occisum immissa sunt, dum Ierusalem, et templum a TITO VESPASIANO dirutum ita fuit, quin vlla humana vi huius ruina impediri, aut promoueri eius restitutio per IULIANVM potuerit.*

De vano huius molimine testatur AMMIANVS MARCELL. L. XXIII. praeter Autores Historiae Ecclesiasticae RVFFINVM, SOCRA- TEM SOZOMEN. etc. GREGOR. NAZIAN. CHRYSOST.

Abinde gens haec dispersa per orbem vniuersum confusis familiis, templo, sacerdote, sacrificio, imo ipsa ciuili libertate caret.

Neque esse amplius usui potuisset ritus hic tantum nationali Iudeorum Religioni proprius, in Religione, et Ecclesia vniuersali omnium populum.

(\*\*) Dogmatibus de Sacramentis speciales dieatae sunt suae Praelectiones Academicae; tantum ergo solius systematis causa, et ordinis gratia innundum videbatur.

### §. VII.

Reuelatio per IESVM completa primum Iudeis (\*), dein reliquo mundo vniuerso praedicata fuit ab Apostolis (\*\*), et loco Nationalis Israelitarum Synagogae fundata est Vniuersalis omnium hominum Religio, et Ecclesia Vna (\*\*\*).

(\*) Vid. MATH. Cap. XV. a v. 22 - 28. et Cap. X. a v. 5. - 6. et

Act. Apost. Cap. XIII. a v. 45. - 46.

(\*\*) Vid MARCVS Cap. XVI. v. 15.

MATH Cap. XXVIII. a v. 18. - 20.

Act. Apost. Cap. I. v. 8. et Cap. X. et Cap. XI.

Legatur etiam PAVLI Epistola ad Rom. ad Cap. XIII. usque; et Cap. II. illius ad Ephefios.

Histo-

Historiam dilatationis nouae Religionis *Acta Apostolorum* inchoant, et *Historia Ecclesiastica* prosequitur.

(\*\*\*) Vid. IOANN. Ccp. III. v. 5. et Cap. X. v. 16.

Nec plura de Ecclesia: cum tam de interna eius oeconomia, quam de externa politia sint Aliorum Praelectio[n]es.

## §. VIII.

Praeter effugia nota satis Iudeorum, non aduenisse Messiam suum, et IESV nostro deeſſe illam externam maiestatem, per quam iuxta Prophetas nouum eius regnum distingui debet etc. etc. (\*) innotuit annis abhinc non multis inter Iudeos quaedam species INDIFFERENTISMI: *Iudaica Religio* solos descendentes ex IACOB obligat; aliis Nationibus dederit Deus alium Prophetam, aliam Legem, aliam Religionem (\*\*).

(\*) Longa historia litteraria hodierni Judaismi legitur apud Baumgarten *Geschichte der Religionen, Partheyen.* Dritter Abschnitt.

Cui volupe est scire, quid Kallenbericum ad conuertendos Iudeos Institutum Halae Magde-

burgicas praestet, legat hodierni eius Directoris  
M. STEPHANI SCHVLZ s. Tomos suae Expeditionis Polemicae scriptos in vernacula lingua; sub hoc titulo: *Die Leitungen des Höchsten nach seinem Rath auf Reisen durch Europa, Asia, und Africa. etc.*

(\*\*) Quod nouum MENDELSONII Iudaismum spectat, documentum originale historicum, et polemicum est: *Lettres Juives du Celebre MENDELSON Philosophe de Berlin avec les remarques et réponses de Mons. le Docteur KÖLBELE, et autres savants hommes: Recueil memorable concernant le Judaïsme.* à Francfort, et à la Haye 1771. Prodiit etiam huius Collectionis nuper germana translatio.

Contra Iudaismum legi primo loco debent etiam Aologetae Religionis christianaæ, quos inter quidam ex professo contra Iudeos scripsere, ut IVSTINVS *Dialog. cum TRYPHONE etc.*

Operum Apologeticorum SS. PATRVM pro veritate Religionis christianaæ contra Gentiles, et Iudeos, quo commodius, et a pluribus legantur, noua Collectio hic Wirceburgi adornatur.



